

modo aliud non obstiterit canonicum impedimentum, pro validis habenda esse: ideoque si contingat, utrumque conjugem ad Catholicæ Ecclesiæ sinum se recipere, eodem, quo antea, conjugali vinculo ipsos omnino teneri, etiamsi mutuis consensus coram Parocho Catholico ab eis non renovetur; sin autem unus tantum ex conjugibus, sive mas seu foemina convertatur, neutrum posse, quamdiu alter superstes erit, ad alias nuptias transire. §. 3. nuptias a catholicis cum hæreticis contractas detestatur quidem, validas tamen pronuntiat, etiam non servata forma; §. 4. declarat, idem iudicandum esse quoad personas addictas legionibus, seu militaribus copiis, quæ ab iisdem foederatis ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque arces conterminas, vulgo dictas *di Barriera*; §. 5. decernit, quod domicilii provinciarum foederatarum nubentes in regionibus Catholicorum, et vice versa, subsint juri communi.

1342. An Parochus catholicus licite et valide assistere possit matrimoniis acatholicorum, quos in sua parochia habet, continuum inter AA. dubium manet; plures tamen e Germanis cum *Laym. L. 5. t. 10. c. 4.* affirmant, *valide* talem assistere, quia verus est loci illius Parochus; *licite*, quia est tantum testis, non minister.

1343. Q. IV. Quibusnam in locis promulgatum sit, ac receptum Tridentini decretum de matrimonio? R. In Hispania, Lusitania, Italia, Germania Catholica. Juxta *Pignat. tom. 1. consult. 151.* ab anno 1602. in Gallia jussu Regis; in Hungaria sub *Emin. Card. de Colonitsch.* E contra promulgatum non est in Anglia, Scotia, Hibernia, Suecia, Dania, Saxonia, Borussia, Pomerania, et aliis provinciis, quæ a fide defecerunt catholica ante annum 1563. quo Tridentinum absolutum est, vel ante 1564. quo confirmatum fuit. Item apud Turcas, et alios infideles. In Hollandia, Zelandia, Frisia, et confoederatis Belgii provinciis anno 1570. ante eorum defectionem promulgatum fuisse, testatur *P. Wex de spons. 2. tr. §. 4. n. 25.* Denique juxta *P. Pichler de clandest. despons. n. 12.* in dubio, an promulgatum ac receptum sit decretum *Trid.*, non obligat: si tamen alicubi receptum sit, praesumitur promulgatum fuisse. Sic quia in Dioecesi olim Wormatiensi, ad quam multa oppida Electori Palatino subjecta pertinebant, decretum Tridentini a longo tempore fuit observatum, recte inferatur promulgatum, et acceptatum ibidem esse.

1344. Porro *resolves I.* quod Christiani inter Turcas, aut in novo Orbe, ubi non est Parochus, aut Parochi vices supplens, valide matrimonium contrahant sine Parocho et testibus, tum quia ibi Tridentinum non est receptum, tum quia supponimus ibi nequidem haberi proprium Parochum.

1345. II. Assistentia Parochi proprii, et testium non tantum debet esse physica, sed moralis, ita ut praesentes sciant, quid agant contrahentes; alias de contractu inito non possunt dici testes. Parochus autem debet esse proprius contrahentium, vel saltem alterutrius ratione domicilii, vel quasi domicilii, non vero originis. Assistit tamen valide Parochus etiam invitus, vel dolo inductus, dummodo percipiat quid agatur, quia non est minister: ergo non requiritur intentio, sed moralis praesentia, ut sciat, quid agatur. Praeterea testes debent adesse una et simul cum Parocho; item debent esse actu usum rationis habentes: amentes enim, dormientes, ebrii etc. jure naturali inhabiles sunt ad ferendum testimonium, cum ita se habeant, ac si non essent praesentes: non tamen requiritur, ut necessario sint omni exceptione majores, nec specialiter ad id rogati, quia jura hoc expresse non requirunt: item per non rogatos aequè obti-

netur finis a Tridentino intentus, modo advertant, quid agatur. *Laym. L. 5. t. 10. c. 4.*

1346. III. Alius a proprio Parocho Sacerdos valide non assistit contractui matrimoniali ex licentia tantum praesumpta, quia tum re ipsa matrimonium non contrahitur praesente Parocho, vel Sacerdote de ejus licentia. *La Croix l. c. n. 738. cum Pontio, Sanch. et aliis.*

1347. IV. De vagis jam nuper dictum est n. 1249., quod illi a quocumque Parocho possint copulari, praemissa tamen diligenti inquisitione. Milites vero, qui habent proprium Curatorem, vel Missionarium Castrensem Catholicum, coram illo debent contrahere, quia hic censetur proprius eorum Parochus: qui autem proprium non habent Sacerdotem, habentur pro vagis, quia omni hora ad abeundum debent esse parati; si tamen et possint, et velint alicubi diutius manere, non sunt vagi.

1348. V. Denique per se patet, quod matrimonium, licet coram pluribus hominibus, ac Sacerdotibus contrahatur, nihilominus sit clandestinum, nisi contrahatur coram proprio Parocho, aut alio Sacerdote de illius licentia. An Parochus assistens necessario debeat esse Sacerdos, cum Tridentinum meminerit solius Sacerdotis, utrinque defenditur. *Farinacius* tamen profert decisionem *Rotæ* ab anno 1593. 1. Decembr. his verbis: *Congregatio Concilii censuit, matrimonium contractum coram Parocho non Sacerdote valere.* Quamvis enim non Sacerdos non possit benedicere benedictione solemni in missa. potest tamen extra missam per verba consueta: Ego vos conjungo etc. Praeterea valide assistit matrimonio Parochus excommunicatus, vel suspensus etc., dummodo beneficio parochiali non sit privatus; quia excommunicatus vitandus caret quidem jurisdictione ad absolvendum, non tamen caret potestate praebendi suam qualificatam personam. *Laym. L. 5. tr. 10. c. 4. n. 5.*

An matrimonium clandestine contractum saltem habeat vim sponsalium, utrinque defenditur. Vide *Theol. schol. et P. Pichler L. 4. tit. 3. de clandest. despons. n. 27.*

§. XVI. De impedimento impotentiae.

1349. *Praenotanda.* Impedimentum impotentiae provenit, quod quis sit incapax perficiendae copulae ad generationem idoneae. Haec primo est duplex. *Impotentia naturalis*, quae oritur ex intrinseca, vel naturali corporum dispositione non apta ad copulam perfectam. Alia *accidentalis*, quae oritur ab extrinseco, e. g. ex maleficio, morbo, aut alio accidente. *Secundo*, utraque dividitur in *absolutam*, dum quis non potest perficere copulam cum ulla foemina, nec foemina cum ullo viro: et in *respectivam*, dum quis non potest quidem perficere cum hac, potest tamen cum alia, et vice versa. *Tertio*, ulterius dividitur in *antecedentem*, quae jam ante matrimonium contractum adest: et in *consequentem*, quae modo accidit post matrimonium contractum. *Quarto*, denique dividitur in *perpetuam*, quae vel sine miraculo, vel sine gravissimo cruciatu sectionis, aut mortis periculo non potest auferri: et in *temporalem*, quae potest vel per exorcismos (si orta ex maleficio), vel per artem periti medici sine gravi periculo vitae auferri. Ex communiter contingentibus viri impotentes in jure vocantur *frigidi*, foeminae *arctae* vel clausae. Tunc autem certo adest impotentia, quando aliquod ex his tribus deest, scil. vel potentia penetrandi vas, vel potentia emittendi semen verum, vel potentia illud immittendi intra vas, quod dicitur contingere iis, qui sunt natura nimis calidi. Vide *P. Sporer* hic n. 123.

1350. *Principium generale.* Impotentia exercendi copulam perfectam antecedens, et perpetua non tantum jure Ecclesiastico, sed naturali impedit et dirimit contrahendum matrimonium: subsequens vero, licet perpetua sit, non dissolvit contractum. Quod impedit impotentia jure Ecclesiastico, patet ex toto tit. 15. L. 4. Decret. *de frigidis et maleficiatis, et impotentia coeundi.* Quod jure naturali impediatur, patet ex eo, quia matrimonium essentialiter includit obligationem dandi inter se corpus ad copulam carnalem, hanc autem traditionem impedit impotentia perpetua; nemo enim potest tradere corpus suum ad actum impossibilem: ergo. Dixi *primo, impotentia exercendi copulam impedit*: nam impotentia generandi tantum, sive sterilitas non causat impedimentum, quia stante sola sterilitate jam adest potentia ad actum principalem proximum, scilicet perficiendi copulam, etsi per accidens desit effectus copulae: deinde etsi desit finis principalis matrimonii, scilicet generatio prolis, habetur tamen finis secundarius, qui est remedium concupiscentiae. Dixi *secundo, impotentia antecedens ac perpetua dirimit contrahendum*, sive oriatur ab intrinseco, sive ab extrinseco, quia tunc *inhabilis est ad solvendum; ergo etiam inhabilis ad promittendum*: subsequens vero impotentia non dirimit contractum matrimonium, ut de consummato certum est; hoc enim dissolvi nequit, nisi per mortem unius saltem conjugis. Ratum autem non solvitur, nisi per professionem religiosam, et dispensationem Pontificiam. *Confirm.* ex can. *Hi, qui* 25. XXXIII. q. 7. ubi ita: *Hi, qui matrimonium sani contraxerint, et uni ex duobus amentia, aut furor, aut aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem conjugia talium solvi non possunt. Similiter sentiendum de his, qui ab adversariis excaccantur, aut membris truncantur, aut a barbaris exsecti fuerint.* Can. 18. *ibid.* et c. *ex litteris*, de frigidis ad speciem adversantur: non enim loquuntur de impotentia subsequente, sed antecedente. Ex his resolve sequentem casum.

Tobias eunuchus, carens utroque testiculo ducit Tryphosam virginem: anno elapso vexatur a cognata, eoquod sterilis esset; astans vicina auget vexationem, additque: Tu nimis innocens es mulier, cum nescias virum tuum esse eunuchum, ut satis patet ex gracili ejus, ac muliebri voce.

1351. Q. I. An validum sit hoc matrimonium? R. Est invalidum. Ita certo tenendum post declarationem *Sixti V.* in Constit. 59. *Cum frequenter*, quam ex parte allegat *Sancti*. L. 7. d. 92. n. 17. Valide tamen contrahitur matrimonium a spadone habente adhuc testiculum, quia talis verum habet semen; 2. ab hermaphrodito, qui repraesentat utrumque sexum, debet autem contrahere secundum sexum praevalem; 3. a senibus ac vetulis, modo certi non sint de plena impotentia ex aetate.

1352. Q. II. Quid sit agendum, quando impotentia perpetua, et antecedens conjugibus putatis est certa, non tamen publice notaria? R. 1. Absolute quidem (si velint, et absit periculum incontinentiae, actumque venereorum, v. g. pollutionis, copulae attentatae etc.) possunt cohabitare instar fratris et sororis, ut constat ex c. 5. de frigid. *quod si ambo consentiant simul esse, vir eam, et si non ut uxorem, saltem habeat ut sororem.* *Sancti*. tamen L. 7. d. 93. n. 36. et l. 9. d. 17. n. 21. his autem esse licitos tactus, si fiant sine periculo pollutionis; quod cum raro absit, alii id probabilius negant. 2. Possunt tamen ambo vel alteruter reclamare, et separationem petere, *sed non propria auctoritate instituere*; opus enim est auctoritate judicis Ecclesiastici, alias grave oriretur scandalum, cum publice habeantur pro veris conjugibus. Praemittenda autem est legitima probatio, tum ne pendeat dissolutio matrimonii a solis conjugibus,

tum ne locum habeat fraus et collusio quaerentium separationem. Unde sola assertio impotentiae non sufficit, sed requiritur, ut veritas curante iudice Ecclesiastico pateat per peritos medicos, vel respectu foeminarum per obstetrices, vel alias honestas et fide dignas matronas; qui si affirmant deposito juramento adesse impotentiam, separatio est facienda, et pars carens impotentia alteri nubere potest. Juxta *La Croix* L. 6. p. 3. n. 787. si impotentia sit perpetua, et simpliciter evidens, ut est in nostro eunuchio, matrimonium solvitur absque experimento, quia ab initio est certo nullum; si sit verisimiliter evidens, requiritur juramentum conjugum, quod non possint coire, et pro singulis 7. manus propinquorum deponentium de credulitate, quod isti vera jurent: In dubio, an impotentia sit antecedens vel consequens, si subsit impotentia naturalis, praesumitur esse antecedens, quia naturalia regulariter cum natura incipiunt; si sit accidentalis, praesumitur non praecessisse, in favorem matrimonii, quamdiu non satis probatur. Denique si dubium sit, an impotentia antecedens perpetua existat, conceditur in cit. c. 5. de frigid. triennium ad tentandam copulam: si frustra tentarint, separandi sunt per iudicem Ecclesiasticum, et tunc pars capax poterit transire ad alias nuptias. *Pichler* hoc tit. n. 8. et seq.

1353. Q. III. Quid agendum, si matrimonium ob impotentiam in iudicio probatum sit dissolutum, postea vero appareat conjuges esse potentes, v. g. si in alio matrimonio proles generent? R. *Regulariter* valet primum matrimonium, et dissolvendum est secundum. Ita *communior* ex c. 5. et 6. de frigidis. Neque sententia contra primum matrimonium lata transit in rem iudicatam, ut patet ex c. 7. de sentent. et re jud. Dixi *regulariter*; quia dissolutio primi matrimonii tunc legitima manet, 1. si impotentia sublata sit per miraculum, aut peccatum, v. g. per novum medium artis magicae, qui tunc censetur fuisse perpetua impotentia; 2. si fuerit *respectiva*, v. g. ob arctitudinem foeminae respectu prioris viri, non vero respectu alterius; 3. aut si fuerit respectiva ob maleficium, quod respectu hujus viri non potuit licite tolli; 4. si pars separata professionem in Ordine approbato emisit; haec enim dirimit matrimonium ratum. Ad quaestionem, an foemina propter arctitudinem impotens teneatur pati incisionem; respondet *Sancti*. L. 7. d. 93. n. 32. quod non teneatur, si ex iudicio peritorum medicorum incisio fieri nequeat sine periculo vitae vel gravissimi morbi; secus, si absque notabili incommodo.

1354. Q. IV. An mulier impotens censi debet, si non possit retinere semen conceptum? R. *Negative*; ideoque subsistit adhuc matrimonium, quia antequam emittatur semen, copula jam perfecta adfuit: ergo non adest impotentia. *Sporer* de Imped. n. 123. cum *Sancti*.

1355. Q. V. Ex quibus signis possit colligi, quod impotentia oriatur ex maleficio? R. Ex modis, quibus malefici arte daemonis solent reddere impotentes; 1. si corpora impediuntur, ne sibi mutuo appropinquent ad coitum; 2. si ita inflammentur ad actum, ut ante coitum effundatur semen, vel refrigerentur ad actum, ut coitus perfici nequeat, ubi tamen discretione opus est, an non idem proveniat ex constitutione naturali; 3. si post contractum matrimonium subito turbetur imaginatio, qua reddatur mulier viro nimis exosa, deformis, monstruosa etc.; 4. si praeter consuetudinem ante coitum prohibeatur rigor, et aptitudo partium ad generationem destinatarum etc. dum impeditur daemon missionem humorum ad debitas partes. Plura vide apud *Sancti*. L. 7. d. 94., *Delrio* L. 3. disquis. mag. P. I. q. 4. Media communia vide in P. I. n. 448. Modi destruendi maleficia extant in

Ritualibus Dioecesis. Item apud *P. Stoiber* P. 2. Armamentarii Eccles. c. 4. a n. 84.

§. XVII. De impedimento raptus.

1356. *Principium generale.* Impedimentum raptus, quatenus ex jure Ecclesiastico dirimit matrimonium, provenit ex violenta personae abductione in ordine ad contrahendum matrimonium. De hoc *Trid.* sess. 24. c. 6. de reform. matrim. ita statuit: *Decernit S. Synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si Clerici fuerint, de proprio gradu decendant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.* Probabilius dicta excommunicatio non est reservata summo Pontifici. *Reginaldus* L. 22. n. 31. expresse ait, quod ea quidem sit latae sententiae, ut patet ex particula, *ipso jure*; sed nulli reservata, quia id debuisset in decreto indicari juxta c. *nuper.* de sentent. excom. §. *in secundo casu.*

1357. Ex dictis, ut raptus sit impedimentum dirimens, requiritur I. *Violenta abductio personae* sive solutae, sive ligatae, sive viduae, etiam alioquin inhoneste viventis, quia etiam hae salvam debent habere et perfectam libertatem matrimonii. Intelligitur autem violentia vel *physica*, quae fit per violentam manuum injectionem; vel *moralis*, quae fit per metum gravem, item per mandatum alteri datum ad vim inferendam. Unde non inducitur impedimentum, si absit violentia in abductione, v. g. si puella sponte consentiat. Dubium autem est, *primo* an subsit impedimentum, si puella quidem consentiat, sed repugnent parentes vel tutores. Juxta probabiliorum non oritur tunc impedimentum, quia liber parentum consensus non requiritur ad valorem matrimonii. Ita *Sanch.* L. 7. d. 13. n. 13., *Regin.* l. c., *Less.* et alii contra *Henriq.*, *Rebellum*, *Petr. de Ledesma* et alios. Talis tamen raptor incurrit alias poenas juris civilis a iudice infligendas pro mensura delicti. Item dubium *secundum* est, an decretum contineat raptum, si sponsus vi abducat sponsam post inita sponsalia? R. Juxta probabiliorum talis raptus continetur in Decreto, quia Tridentinum sine restrictione loquitur: ergo non tantum de persona libera, sed etiam sponsa violente abducta (secus enim est de libere consentiente) intelligendum est, quamvis rapiat sponsam sibi promissam; tamen quoad modum contrahendi infert ei injuriam et violentiam; praecipue hoc tenendum in casu, quo sponsa ante raptum habeat justam causam resiliendi. *Sanch.* l. c. *Azor.*, *Guttier.* et alii contra graves AA. *Tertio* dubitatur, an decretum intelligendum sit de muliere rapiente virum. Juxta communiorum non est intelligendum de rapiente muliere; patet enim, quod Tridentinum expresse loquatur de raptoribus, nec leges solent statui de casibus rarissimis, qualis est de muliere rapiente. Ita *Sanch.*, *Pont.*, *Molina*, *Wiestner* contra *Guttier.*, *Haunold.*, *Krimmer* et alios, qui ex paritate rationis affirmativam tenent.

1358. II. Requiritur, *ut sit vera abductio* de loco in locum moraliter diversum, qualis non est, si persona de cubiculo in cubiculum ejusdem domus, aut proxime vicinam domum abducat. *Pichler* hic n. 119.

1359. III. Requiritur, ut abductio fiat matrimonii contrahendi causa. Hinc non oritur impedimentum, si mulier rapiatur ex alio fine, v. g. ut

vendatur, in servitutem redigatur, spoliatur etc.; hic enim proprie non est raptus, sed *plagium*.

Quid? si raptor abducat mulierem, non matrimonii contrahendi, sed libidinis exercendae causa? R. Probabilius non oritur impedimentum dirimens, quia Tridentinum l. c. expresse statim ab initio meminit solius matrimonii contrahendi, dum statuit impedimentum inter raptorem et raptam: ergo indicium est, de illo solo raptu loqui decretum, qui fit matrimonii contrahendi causa. Ita *Sanch.* l. c., *Dicast.*, *Wiest.*, *Schmalzgr.* et alii contra *Sa.*, *Azor.*, *Bonac.* et multos alios. Denique per se constat ex verbis *Trid.* quod matrimonium nullum sit, etsi mulier violente abducta postea, dum adhuc est in potestate raptoris, nec loco reddita tuto, consentiat.

QUAESTIO FINALIS.

An matrimonium nihilominus sit nullum, etsi contrahentes invincibiliter ignorent impedimentum dirimens, quod habent?

1360. R. cum probabiliorum. Etsi sic contrahentes non peccent ob ignorantiam, matrimonium tamen est nullum; quia leges de impedimentis non sunt tantum prohibentes, sed irritantes. *Neque obstat*, quod aliqua impedimenta habeant rationem poenae, ut impedimentum criminis et alia: nam primario censi non debent poenae, quamvis simul imponantur in poenam delicti, sed principaliter sunt inhabilitates canonicae, quibus stantibus non subsistit valor matrimonii. Demum etsi opposita sententia videatur speculative probabilis, obstat tamen Ecclesiae praxis, teste *La Croix* L. 6. p. 3. n. 642., cum rei criminis impedimenti nunquam permittantur contrahere sine dispensatione. Confirmatur etiam ex eo, quod petenda sit dispensatio, etsi praecesserit ignorantia, ut satis clare patet ex *Trid.* sess. 24. c. 5. de reform. matrim., ubi ita expresse habetur: *Si vero solemnitatibus adhibitis, impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo et gratis dispensari poterit.*

ARTICULUS IV. De dispensatione in impedimentis matrimonii.

§. I. De potestate dispensandi super impedimentis matrimonii.

1361. *Principium I.* Super impedimentis *solum impediens* matrimonium absque dubio dispensare potest summus Pontifex pro utroque foro: quia cum haec impedimenta lege tantum positiva Ecclesiastica introducta sint, ejusdem legislatoris erit solvere, cujus erat ligare. Ex eadem ratione Papa dispensare potest super impedimentis, *quae jure tantum ecclesiastico matrimonium dirimunt*, qualia ex dictis esse censentur 1. *cognatio spiritualis*, 2. *legalis*, 3. *carnalis seu consanguinitas* (excipe, in linea recta, et in primo gradu lineae transversae), 4. *affinitas*, juxta n. 1298., 5. *votum solemne religionis*, 6. *ordo*, 7. *crimen*, 8. *cultus disparitas*, 9. *publica honestas*, 10. *clandestinitas*, 11. *raptus*. In iis vero impedimentis Papa dispensare nequit, quae jure naturali vel divino matrimonium dirimunt, uti sunt 1. *error*, 2. *conditio*, 3. *ligamen*, 4. *impotentia*, 5. *consanguinitas in linea recta, et in primo gradu lineae transversae*, 6. *vis absoluta*. De *conditionali* dubium est, juxta n. 1313.; quia Pontifex hic non potest supplere consensum errore impeditum, aut impotentem reddere potentem, aut contra legem Christi matrimonium consummatum dissolvere etc.

1362. *Principium II.* Episcopus ex justa causa pro utroque foro dis-